Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26345
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sedens in equo ℣. Miserere mei deus secundum m. premittit. deinde dicta oratione
dominica. horam cantat. In xii. vero lectionibus et quandocumque venia non est petenda. nec psal
mum canit. nec ad terram descendit. Unde priusquam de claustro exeat. quando
diu abest. xii. lectiones legantur providisse debet. debet etiam ex usu cantare cursum
S. MARIE. Si est illiteratus iniungitur ei aliquid pro regularibus horis cantandum
id est oratio dominica. et si quid sit huiusmodi. Prandere in itinere sine missa
etiam in maioribus festis ideo licenter potest. quia non nisi in notis locis aut noti
sacerdotis missam audire. nec per se ipsum si est sacerdos cantare presumit. Cui si
fragilitas evenerit. uno tantum die a missę celebratione se abstinet.
quod amplius non devitat. etiam si mutatorium aliud habere vel confessionem fa
cere non valeat. Regulare ieiunium foris observat. nisi carens providendi li
centiam accepit. Prandere in prato potest si necesse fuerit. Qui ei cibum
vel potum administrat. numquam administrat in sola camisia vel in femo
ralibus solis: nisi forte eveniat ut ab alio quam suo comite ei ministrandum
sit. Inter comedendum si quid breviter dixerit pro his que ad presens necesse
habuerit. de alia loquela tamen longiore cavet. Antequam comedat
dicto versu legit aliquid de con sacra scriptura et in fine similiter.
In via quoque sitiens si carens vase ad fontem biberit ex manibus ob hoc
notari non meretur. Talis autem qui sit imberbis vel rasus barba non debet
esse in eius comitatu. Sed neque mittere a se comitem et solus extare
presumit. Ubi vult hospitari si adeo prope est ecclesia. vesperos ibi can
tare non omittit. completorium tamen et matutinas non ibi cantat. sed in lecto vel
in loco competenti iuxta lectum. nisi hospitium ecclesię sit coniunctum.
Cavet autem aliquam ecclesiam cum calcaribus vel cappa indutus intrare. de
manu feminę aliquid accipere. ad eandem cum ea mensam sedere. cum
ea quamlibet loqui sine teste prope eos sedente. Omni tempore postquam nox
fuerit. nisi magna aliqua necessitate impediente. alioquin completorium
ultra non differt. Sunt preterea que tam foris quam domi observat. id est